



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

Conclusio, quod vrgente necessitate, & iudicio ecclesiae, & auctoritate summi pontificis accedente, licet & necessarium est addere verbum symbolo. Capvt IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

mutans, si hæc inhibitiõ illam mentem quam nostri dicunt, habet pro sanctis patribus & doctoribus, heu seductores & deceptores facti sunt & secundi Concilii patres, & beatus Gregorius Nazianzenus, cui per excellentiam Theologus cognomen fuit. Sed absit hanc blasphemiam etiam cogitare. Non igitur nec prima, nec tertia, nec aliqua alia Synodus hoc intelligit, cum hanc inhibitionem decernit, sed manifeste contrariam fidem inhibet.

Conclusio, quod urgente necessitate, & iudicio ecclesie, & auctoritate summi pontificis accedente, licet & necessarium est addere verbum symbolo.

CAPVT IV.

PER hæc itaque omnia, clementissime, luce clarius probatum est, non esse prohibitum veritatem addere fidei symbolo, imo vero declarare. Nullum enim veritatis dogma est, quod vel explicite non contineatur symbolo & simplici apostolorum traditioni. Declarare autem & replicare, ac symbolo addere, non semper videlicet, nec omnem volentem, sed magna necessitate cogente, & cum ecclesie iudicium & auctoritas summi pontificis accesserit, non modo non esse prohibitum, sed etiam necessarium esse.

Continuatio narrationis eorum quæ in Concilio facta fuerunt.

CAPVT V.

HIS igitur, aliisque similibus per Latinos dictis, clementissime vir, nos cum nihil ad hæc respondere haberemus, (quid namque poterat aliquis contra talem veritatem impudenter dicere?) tacebamus. Latini vero probato, quod licet addere symbolo veritatem, consequenter pollicebantur se probaturos, etiam dogma symbolo additum verum esse, videlicet, quod Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedit. At nostri in primo conuicti formidabant secundum certamen subire, illudque eis euenit, quod ego iam a principio præuidebam futurum, cum impediēbam, ne ab hac quæstione inciperemus. Timebant igitur, & nullo modo volebant amplius permanere: sed quisque desiderabat discedere & reuerti ad propria,